

AB

153019

IVS TICVIVIS FICITAM
DWINICERIS DICDENSEST

1 5 8 6



00
z

P. 4. 118



HB. 153019

Theologie

E. VI 430

Concio
IN DEDUCTI
ONE FVNERIS
Honestissima & piissima Ma-
trona ANNAE, nata ex no-
bili Aldbeckorum familia, &
Coniugis viri prudentissimi &
integerrimi Dn. IOACHIMI
MOLLERI, gubernantis præ-
fecturam Arcis in Episcopa-
tu Merseburgensi.

HABITA ab

Adamo Rothero, D. & Su-
perattendente Mersebur-
genfi, Anno Salutis

1584. die 27.

Decembr.

Lipsiæ Iohannes Beyer impri-
mebat, Anno 1585.

Concio

IN DEDUCT

ONE FVNERS

Honorable & pious Ma-

rius NAE, natus in

bita Althorowum familia

Comitatus p[ro]vincie

intercomitatu D[omi]ni Jo[han]ni

M[ag]ist[ro] R[ic]h[ard]o, p[ro]curator

factum in d[omi]no in ep[iscop]o

in M[ag]ist[ro] R[ic]h[ard]o

HABIT

Adamo Roberto, D. & su-

perintendentis Althorowum

genit. Anno salutis

1584 die 27

Decemb[ri]

Lip[si]e Johanne Beyer imp[ri]s-

erunt, Anno 1585





ORNATISSI-

MO ET INTEGER-

rimum viro, pietate, doctrina &

virtute praestanti, D. Ioachimo

Mollero, gubernanti praefectu-

ram arcis in Episcopatu Merse-

burgensi, Domino & amico

suo colendo. S. D.



ERE ET SAPI-

enter dictum est,

Ornatiss. vir & A-

mice colende, in veteri An-

timachi versiculo:

Πῶς ὁ τοίγ' ἀλόχοισι οἷς τεκέεσσιν ἕκαστος.

Hoc est:

A 2

Mors

Epistola Dedicatoria.

Mors nemini magis luctu-
osa est, quam Coniugib. &
Parentib. Nam parentum
& coniugum *σοφῶν* longè su-
perant fratrum, aut quo-
rumuis aliorum beneuo-
lentiam. Ac ideo pijs paren-
tum & coniugum pectori-
bus, cœlestes illas mutui a-
moris flammulas statim in
creatione indidit sapiens
conditor DEVS, vt testi-
monium nobis essent, veri
& non simulati amoris ip-
sius erga Filium, quem ma-
gis diligit, q̄; quicquid est,
vel in cœlo, vel in terra, &
propter ipsum, nos quoq̄;
Sicut

Epistola Dedicatoria.

Sicut incendium illud amoris diuini Apostolus verbis significanciorib. exprimere non potest, quàm cum dicit, κατ' ἐξοχλὴν, *Deus charitas est.* Item, *Dilexit nos in dilecto.*

Deinde simul commonefactio est, de ardentissimo Filij DEI amore erga Ecclesiam, quam arctissimo, & indissolubili cœlestis coniugij fœdere sibi copulauit. Sicut per Prophetam dicitur: *Desponsabo te mihi in perpetuum.* Et quo naturæ sunt præstantiores, eo σοφῶτα illæ etiam sunt & pu-

A 3 rio-

Epistola Dedicatoria.

riores & ardentiores, & vicissim dolor, si alterutrum ex illa copula auelli contingat tanto est acerbior. Ac ferreum pectus esse, imò sensum prorsus communem amisisse, & hominis appellatione indignum esse oporteat, quod tali lugubri casu non afficiatur. Sicut hodie Anabaptistæ, & alij fanatici, & bestiales homines faciunt, qui veterem illam Stoicorum ἀπάθειαν reducere & egregiè fingere fatagunt.

Inde facile colligi potest, quid tibi viro humanissimo

mo

Epistola Dedicatoria.

mo animi fuerit, postquam
ex itinere rediens, peregrè
absentem fidissima vitæ so-
cia, tenellos autem natos,
secundum DEVM, maxi-
mè necessario præsidio, or-
batos esse depræhendisti. Et
si autem non tutum non
vetant, sed & iubent sacræ
literæ, vt lugeamus, & la-
chrimis etiam prosequa-
mur charissimorum ami-
corum funera, Tamen si-
mul monent, vt quantum
naturæ nostræ infirmitas
patitur, implorato auxilio
diuino, luctū moderemur,
nec ei immodicè etiam non

A 4 sine

Epistola Dedicatoria.

sine valetudinis periculo
indulgeamus, Nec animis
nostris excidat præceptum
diuinum, licere quidem no-
stros amore complecti, sed
debito & ordinato, & De-
um super omnia diligen-
dum, & affectus illos sub-
inde ebullientes, ad nor-
mam voluntatis diuinæ,
quam in verbo suo præscri-
psit nobis coercendos, &
in obsequium DEO redi-
gendos esse, ne impacienti-
am pijs indignam, & cor fi-
de vacuum prodant, Sicut
ideo Apostolus nos iugere
ex hac vita decedentes iu-
bet,

Epistola Dedicatoria.

bet, sed non sicut Gentes,
quæ coniunctionis & con-
uersationis in vita cœlesti
dulcissimæ, olim futuræ,
spem nullam habent. Ac
cum ex solo DEI verbo
contra illam animi ægritu-
dinem & tristitiam *Φάρμακα*
efficacia depromi possint,
quæ animum à luctu abdu-
cant, & vulnera illa mœro-
ris sanare possint, Mitto
Conciunculam illam ex
Psal. 116. in funere Coniu-
gis habitam, ac F. D. Do-
minum nostrum IESVM
Christum toto pectore oro,
vt & te, & totam honestissi-

A 5 mam

Epistola Dedicatoria.

mam familiam tuam, in
hoc tristi casu lugentem ef-
ficaci Spiritus Sancti confo-
latione, erigat & confir-
met, AMEN. Ex Musæo
meo, 29. Decemb. Anno,
1. 5. 84.

T.

Adamus Rotherus,
Doctor & Sup.





Pfalm. 116.

1. *Reuertere anima mea in
requiem tuam,*

2. *Quia D O M I N U S be-
nefecit tibi.*

3. *Quia eripuisti animam
meam de morte,*

4. *Oculos meos à Lachri-
mis,*

5. *Pedes meos à lapsu.*

6. *Ambulabo coram D O
M I N O,*

7. *In terra Vientium.*

VNVM EST HOC
ex pulcerrimis dictis totius
scripturæ, laudes canens bene-
factori D E O pro liberatione
ex

ex ingentibus periculis. Et est *πρωταγωγοποιία*, siue dialogismus, in quo colloquens inducit pium pectus cum sua anima. Sicut & Diuus Augustinus tractatum scripsit soliloquiorum cum sua anima, Tom. 9. cap. 37. In hoc ergo speculum piæ mentes intueantur, & iuxta hanc normam, cogitationes, dicta, & inuocationem suam examinent, & dirigant, nec ociosis speculationibus aut impatientiæ vel diffidentiæ indulgeant. Sicut monet Psal. 37. Delectare in DOMINO, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Antithesis.

Impij etiam sua, sed peruersa &

sa & ex securitate carnis profecta habent soliloquia, vt Psal. 14.

Dixit insipiens in corde suo, non est DEVS. Danielis 4. de Rege Babylonico Belzazer: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificauit in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei. Et Psal. 94. de impijs affligentibus pios, Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget DEVS Iacob. Lucæ 12. dicit impius diues ad animam suam: Et dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona in annos multos reposita, requi-

quiesce, comede, bibe, oblectare.

Imitemur autem potius piorum soliloquia, vt Psalmo 42. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor illi. Vbi eadem sententia in eodem Psalmo bis repetitur.

Pfal. 131. Quando animam meam non posui, & filere feci, tunc erat anima mea, sicut ab lactatus à matre sua.

Pfal. 103. Benedic anima mea Dominum, & ne obliuiscaris omnium benefici-
orum

orum eius. Qui propitius
est omni iniquitati tuæ, qui
sanat omnē infirmitatem
tuam. Et præceptum Christi in
eam sententiam extat, Luc. 21.
In patientia possidete ani-
mas vestras.

Dispositio.

Duplicem ex hoc pulcher-
rimo dicto sententi-
am & vsum ex-
cerpemus.

I.

*Quomodo hoc dicto David usus
sit?*

I I.

*Quomodo nos omnes erepti ex
ma-*

magnis periculis pro gratiarum actione erga DEVM pie illa uti debeamus. Præcipue autem ad morientes pertinet hoc dictum, qui in mortis agone fluctibus tentationum iactati, portum salutis, fidei oculis, aspiciunt & amplectuntur.

DE PRIMO.

Quot & quantis periculis & acerbissimis doloribus tantum non obrutus fuerit Dauid, præcedentia huius Psalmi indicant, vt: Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me, tribulationem & dolorem

rem inueni. Idq; ex perpetua
 ipsius Historia videre licet, vt in
 persecutione Saulina, quin etiam
 contra fidem datam, & iusiuran-
 dum præstitum, tamen prodi-
 torijs quorundam delationibus
 instigatus, subinde sitiebat san-
 guinem ipsius & quærebat eum
 ad mortem. In seditione item
 Absolonica, sicut testatur quæ-
 rela ipsius vere pathetica. 2. Sa-
 muel. 16. Ecce filius meus,
 qui egressus de vtero meo,
 quærit animam meam.

In multis item difficilimis &
 periculosissimis bellis, vt interim
 taceam grauissimas tentationes
 spirituales, in quibus sæpe lucta-
 tus est, cum cogitationibus de
 abiectioe & desperatione.

B

Tenen-

Tenendum est autem vſita-
tum & ſolenne hoc eſſe in hiſto-
rijs Sanctorum, vt quando inſi-
gnes conſolationes aut promiſ-
ſiones eduntur, ſemper præcef-
ſiſſe ingentia etiam pericula, do-
lores, & conſternationes.

Tunc enim ex conſequenti
intelligendum eſt Antecedens.
Non enim fruſtra aut voluptati-
bus ebrios conſolatur DEVS,
ſed territos, & quaſi cum deſpe-
ratione luçantēs. Eundem eti-
am ordinem tenent duo illa præ-
cipua capita doctrinæ cœleſtis,
Legis videlicet, & Euangelij,
quorum primum terret, alterum
verò conſolatur. Idem deniq̃
proceſſus in via ſalutis in capite
Chriſto, propoſitus eſt omnibus
pijs

pñs membris, vt per crucem ip-
sum sequantur in æternæ fælici-
tatis & gloriæ regnum.

*I. Reuertere anima mea in
requiem tuam. q. d.*

N Vnc tandem superatis pe-
riculis, doloribus, & tenta-
tionibus, sentio efficacem con-
solationem diuinam in corde
meo, in qua fide acquiesco. Si-
mile à viatore, qui ex latronum
manu elapsus munitum aut tu-
tum aliquem locum cursu supe-
rauit, vbi nihil ei post hac peri-
culi est extimescendum. Sicut
item Nautæ ex sæua aliqua tem-
pestate eluctati, portum attin-
gunt. Ita & David sibi gratula-
tur, & **DEO** gratias agit, quod
B 2 libe-

liberatus tutissimum Asylum in-
 uenerit. Sicut Psal. 61. & Pro-
 uerb. 18. dicitur: Turris for-
 tissima inuocantibus no-
 men DOMINI. Item Pf.
 46. Deus noster refugium
 & virtus, adiutor in tribu-
 lationibus, quæ inuene-
 runt nos nimis. Propterea
 non timebimus, dum tur-
 babitur terra, & transferen-
 tur montes in cor maris, &c.
 Psal. 91. Qui habitat in ad-
 iutorio Altissimi, in prote-
 ctione Dei cœli commora-
 bitur. Vide ibi plura, &c.

2. *Quia Deus benefecit tibi.*

Primum in genere DEO
 gratias

gratias agit pro acceptis beneficijs, postea singula enumerat ordine per distributionem.

Primum prædicat bonitatem DEI, cuius hoc est proprium, vt benefaciat. Iuxta Regulam: Bonum est communicatum sui, & Germanicam Ethymologiam vocabuli DEVS: *Got hat den Namen von guten.* Et quidem hoc ordine, vt prius mergat in mortem & pericula, & postea eripiat.

Sicut HANNA mater Samuelis 1. Sam. 2. canit: DOMINVS mortificat & viuificat: deducit ad inferos & reducit. Vt agnita ipsius præsentia & auxilio, conspectius fiat beneficium, & pro illo ipsum celebremus

B 3 mus

mus, vt Psalm, 50. dicitur:
 Inuoca me in die tribulati-
 onis, & eripiam te, & glori-
 ficabis me. Micheæ 7. Cum
 federo in tenebris, Domi-
 nus lux mea est.

3. *Quia eripuisti animam
 meam de morte.*

NVnc ad speciem descendit,
 mutatione personæ à tertia
 ad secundam, quia propius nunc
 sentire incipit DEI præsentiam.
 Et inter alia præcipuum,
 primo loco ponit, periculum sc.
 mortis. Quoties in manifestum
 vitæ discrimen inciderit etiam
 supra quædam attigimus, vt 1.
 Samuel, 17. in *εὐροπαχία* illa cum
 Leone

Leone & vrfo. Item in *Μονομαχία*
 cum Gigante Goliatho. Ibidem
 2. Samuel. 21. Congrediens in
 prælio cum alio gigante Iesbi, à
 quo etiam occifus fuiffet, nifi suc-
 curriffet ei dux militiæ Abifai in-
 terfecto Philifteo. 2. Samuel. 24.
 Vbi in peste Ifraëlitica, qua
 70000 extincta funt in illo po-
 pulo, videt Angelum ftantem
 inter cœlum & terram, vibran-
 tem gladium euaginatam, ex
 qua confternatione prope exani-
 matus fuit. 1. Samuel. 30. Quan-
 do Amalekitæ incenfo oppido
 Ziklag, abduxerunt totam ip-
 fuis familiam & fubftantiam,
 &c. Ex iftis omnibus periculis
 ingenue fatetur, fe non fua vir-
 tute, fed folius DEI ope ere-
 ptum

ptum esse, Ideoq; lætus DEO
gratias agit,

4. *Oculos meos à lachrymis.*

Obseruabile est, quod etiam
infirmiorem suam non ta-
ceant sancti. Ita Matthæus fate-
tur se sedisse ad Teolonium:
Paulus se fuisse persecutorem
Ecclesiæ DEI, Christum item
non semel fleuisse Euangelica,
testatur Historia, vt Luc. 19.
Ioan. 11. Hebræ. 7. Risisse au-
tem nunquam.

Augustinus de Sanctis,

Serm. 35.

Et quidem DOMINVM
IESVM legimus doluisse,
fleuisse, ex itinere fatiga-
tum

rum fuisse, opprobria & iniurias sustinuisse, sputa, flagella, crucem suscepisse. Nunq; tamen legimus eum risisse.

Parum autem virile iudicatur, Virum, cui à Virtute nomen est, communes casus, non fortius ferre posse, quin muliebriter lamentetur. Lachrymarum autem Davidis non semel meminit scriptura, vt, Psal. 56. Fugam meam tu numerasti, & posuisti lachrymas meas in virem tuum. Psal. 6. Lauasse se per singulas noctes, & rigasse lachrymis lectum suum. 2. Samuel. 15. Porro David ascendebat

Clium ~ oliuarum ~ scan-
dens & flens, nudis pedibus
incedens, & operto capite,
sed et omnis populus, qui
erat cum eo, ascendebat
plorans.

§. Et pedes meos à lapsu.

Diximus iam Sanctos etiam
proprias suas infirmitates
& lapsus non reticere, idq; singu-
lari Spiritus Sancti consilio. Non
quod ita ei libeat deformare
sanctos Dei seruos. Neq; vt im-
pijs proscindendi eos conuictijs ea
re occasionem præbere voluerit,
quod Diabolí proprium esse, te-
statur.

D. Cy-

D. Cyprianus lib. 4.

Semper hoc opus est Diaboli, vt seruos DEI mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, vt qui conscientia suæ luce clarescunt, alienis rumoribus fordidentur.

Multo minus autem vt tales lapsus in exemplum trahantur: Sicut D. Augustinus queritur, Psal. 50. Multi cadere volunt cum Dauid, & nolunt surgere cum Dauid. Non ergo cadendi exemplum propositum est, sed si cecideris, refurgendi. Attende,
ne

ne cadas. Non fit delectatio minorum, lapsus maiorum: Sed fit casus maiorum, tremor minorum. Ad hoc propositum est, ad hoc scriptum est, ad hoc in Ecclesia sæpe lectum & cantatum, Audiant, qui non ceciderunt, ne cadant, Audiant, qui ceciderunt, vt resurgant.

Sed sicut suum exemplum proponit D. Paulus 1. Timot. 1. Sed ideo misericordiam cōsequutus sum, vt in me primo ostenderet CHR I stus IESVS omnem patientiam ad informationem eorum,

rum, qui credituri sunt illi
in vitam æternam.

*Enumeratio quorundam lap-
sum Davidis.*

Psalm. 73. dicit se offensum
fuisse fœlicitate impiorum. Mei
autem pene moti sunt pedes, pe-
ne effusi sunt gressus mei. 1. Sam.
24. Instigatus à suis militibus, in
spelunca occasionem habuisset in-
terficiendi hostem Saulem, qui
quærebat eum occidere: Sed non
sine motu diuino repressit se, &
abstinuit à cæde, & coërcuit flam-
mas vindictæ priuatæ, noluit e-
nim esse autor occidendi Reges in
illo populo &c. Dixitq; ad viros
suos. Propitius sit mihi D O-
MINVS, ne faciam hanc
rem

rem Domino meo, Christo
Domini, vt mittam ma-
num meam in eum, quia
Christus D O M I N I est.

2. Sam. 11. Adulterium & ho-
miciidium Dauidis describitur.

2. Sam. 24. Ex suggestione Dia-
boli numerans populum peste
percutit 70000. in Israële.

6. *Ambulabo coram D O-*
M I N O.

Dictum est Gersonis:

Plures sunt gratiæ priuati-
uæ quam positiuæ.

Gratias priuatiuas intelligit
mala sublata, quando nimirum
ex periculis liberati sumus. Gra-
tias autem positiuas appellat bo-
num

num restitutum vel beneficia collata. Adeoque talia beneficia, quando præter omnem sensum nostrum ex imminentibus periculis, diuinitus liberamur, plura & crebriora, adeoque maiora etiam esse dicit, quam alia, quæ sensu percipimus. De quo in colloquio illo dulcissimo DEI cum Mose dicitur, Exod. 33. Videbis posteriora mea, hoc est, ex mirandis liberationibus agnosces præsentiam meam.

In futura vita, quando DEVM videbimus de facie ad faciem, aperientur nobis oculi nostri, ut in illo speculo Sapientiae DEI, omnia illa videamus, quoties ex grauissimis & præsentissimis periculis nos in hac
vita

Vita liberauerit DEVS. Vnde iustiores causas habebimus erūpendi in lætas gratiarum actiones optimo benefactori Deo. In hac vita tanta est naturæ nostræ infirmitas, vt si omnes insidias & pericula, præcipue quæ à Diabolis nobis tenduntur visibiliter cerneremus, procul dubio exanimés concideremus, velamen ergo obducit oculis nostris propitius Deus, & multa à nobis abscondit, & remouet, ne metu & consternatione extinguamur.

Accommodatio.

Quia ergo primum in genere celebrauit beneficia diuinitus sibi collata. Deinde etiam ad speciem descendens, talia beneficia commemorat, vbi ex multis ingenti-

gentibus periculis ipsum eripuerit clementissimus **DEVS.**
 Nunc ultimo loco recenset gratias, ut supra ex Gersone diximus, positivas, seu bona restituta, & beneficia collata.

Quorum duæ præcipue eumerat:

1. *Ambulare coram IEHOVA.*
2. *In terra Vientium.*

De Primo.

Ambulabo coram DOMINO.

Variæ variorum interpretum de hac Phrasi sunt opiniones, sed simplicissima est sententia: Eum tutum posthac fore sub

C

pa-

paterna protectione DEI. Sicut Psal. 91. dicitur: Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione DEI cœli commorabitur, & reliqua. Simile à liberis, in quos semper sunt intenti oculi paterni. Iuxta Poëtam: *Omnis in Africano chari stat cura parentis.*

De Secundo.

7. *In terra Viuentium. h. e.*

DEVM ei prorogaturum vitam, vt diutius in hac vita gloriam DEI celebrare, & propagare possit.

Testimonia.

Psal. 9. Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciẽ laudes

laudes tuas, in portis filiaë
Zion. Pſal. 118. Non mo-
riar, ſed viuam, & opera
Domini annuntiabo.

2. Corint. 1. Reſponſum
mortis acceperam, &c. vide
integrum locum, ſicut paulò poſt
ſequitur: Quid retribuam
DOMINO pro omnibus,
quæ retribuit mihi. Cali-
cem ſalutarem accipiam, &
nomen Domini inuocabo.

DE SECVNDO.

NVnc Magiſtrum hunc ſecu-
ti (ſicut ſeipſum linguam
appellat calami velocis) hanc
doctrinam & conſolationes ad
uſum transferre diſcamus.

C 2 Cum

Cum vita nostra non minus quam Dauidis sit, & omnium aliorum hominum infinitis & ingentibus periculis sit exposita, quibus resistere viribus nostris, nullo modo possumus, multo minus illa superare. Quare & nobis opus est auxilio diuino, quod & supplices imploremus, & hoc impetrato DEO ingentes gratias agamus.

Testimonia.

Iob. 5. Homo nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum.

Idem cap. 7.

Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius.

Psalm. 90.

Dies annorum nostrorum septuaginta anni, aut ad summum octoginta anni, è quibus quod optimū est, est molestia & labor, transitus enim celer est & auolamus.

Pfal. 42. Abyssus ad abyssum clamat in voce cataractarum tuarum: Omnes collusiones & fluctus tui super me transierunt.

Ambrosius Ser. 42.

Tantis enim malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedio

C 3 puta-

putatur esse, non pœna. Nam ideo breuem illam fecit DEVS, vt molestias eius, quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur.

Proprie autem hæc consolatio ad morientes pertinet. Etsi enim tota vita plena est laborum & dolorum, tamen hæc omnia in postremo mortis agone cumulantur. Ideo 1. Cor. 15. Diuus Paulus, mortem vltimum hostem appellat. Et cum per vitæ nostræ tempus nunquam celsset aduersarius noster Diabolus, sed teste D. Apostolo Petro, circumeat tanquam leo rugiens, quærens, quem deuoret: Præcipue
tamen

tamen quando iam peruentum
est ad extremum, omnem mouet
lapidem, telis suis ignitis, vt in il-
la lucta, mole ærumnarum &
tentationum ad desperationem
impellat oneratas conscientias, &
secum pertrahat in æternum exi-
tium.

In illa lucta oportet emerge-
re & vincere fidem. 2. Timo. 2.
Nemo coronatur, nisi quis
vicerit. Matth. 24. Qui per-
seuerauerit vsq; ad finem,
saluus erit. Milita bonam
militiam, retinens fidem &
bonam conscientiam. 2. Ti-
moth. 4. Bonum certamen
certaui, cursum consum-
maui, fidem seruaui. Quod

C 4

super

iupereſt , reſoſita eſt mihi
 ſuſticiae corona , quam red-
 det mihi DOMINVS in
 illa die , iuſtus Iudex , non
 ſolum autem mihi , ſed &
 omnibus , qui diligunt ad-
 uentum eius. Apoc. 1. Vin-
 centi dabo edere de ligno
 vitæ , &c. Apoc. 2. Eſto fide-
 lis uſq; ad mortem , & dabo
 tibi coronam vitæ.

Hieronymus epist. ad Furiam.

Non quæruntur in Chri-
 ſtianiſ initia , ſed finis. Huc
 pertinet Hiſtoria Babylæ Epiſco-
 pi Antiocheni. Is enim cum iuſſu
 Decij Imperatoris , vel vt aliq; vo-
 lunt Numeriani , quem ad ſacra
 Chri-

Christianorum spectanda admit-
tere voluerat, dicens: Non licere
eum, qui cruore & sacrificijs Ido-
lorum pollutus esset, in domum
Dei, tam præcipitanter ingredi,
& diuina mysteria contaminatis
oculis spectare, nec passurum se,
vt Lupus ouile Domini ingrede-
retur. Ob hanc causam cum du-
ceretur ad supplicium, clara voce
hos versus, quos iam interpreta-
ti sumus, pronunciauit, simul
mandans astantibus, vt catenas
& vincula, vna cum suo corpore
sepelirent, ne ornamentis suis
mortuo carendum esset.

I.

*Reuertere anima mea in
requiem tuam.*

N Villa hoc toto vitæ tempore
C 5 in

in mundo firma & stabilis est requies. Sed mundus semper est immundus, & Babylon h. e. confusio & inquietudo dicente Christo, Iohan. 16. In mundo afflictionem habebitis.

*Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt,
Et quo cum certet, mens pia semper habet.*

Item, Intus pavor, foris pugnae. Solidam autem pacem in solo Christo possidemus. Matth. 11. Et inuenietis requiem animabus vestris. Item, In mundo afflictionem habebitis, in me autem pacem. Philip. 4. Pax DEI, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda

da vestra, & mentes vestras
in CHRISTO IESU.

Tunc enim reuertitur anima no-
stra in requiem veram, Sicut Ro-
man. 5. dicitur: Iustificati fide
pacem habemus erga DE-
VM. Item, Luc. 2. Nunc di-
mittis seruum tuum Do-
mine in pace, quoniam vi-
derunt oculi salutare tuum.
Roman. 8. Certus sum ego,
quod nihil me poterit sepa-
rare à dilectione Dei, quæ
est in Christo Iesu Domino
nostro. Passiue autem intelli-
gatur, non actiue, sicut Monachi
pulcherrimum hoc dictum de-
prauarunt.

Quia

*Quia DOMINVS be-
nefecit tibi.*

HÆc demum vera & peculi-
aris Ecclesiæ & piorum est
sapiëntia, vt crucem non habe-
ant pro signis iræ, sed medijs, qui-
bus ad pœnitentiã nos reuocat
Dominus. Tam acutum cer-
nunt oculi fidei, vt in mediã mor-
te videant vitam, in cruce bene-
ficiã. Rom. 5. Gloriamur in
tribulationibus. Acto. 5.
Apostoli cæsi ibant gauden-
tes à conspectu concilij,
quod digni habiti sunt pro
nomine IESV contume-
liã pati. Acto. 6. de S. Ste-
phano:

ibat

Ibat ouans animis & spe sua
damna leuabat.

Sicut Lysimachō gloriofæ
fuerunt cicatrices ex vnguibus
leonis, quem interfecerat in bra-
chijs cruribusq; relictæ, vt habet
Plutarchus in Demetrio.

Nicephorus lib. 8. cap. 26.

scribit :

Constantinum M. Im-
peratorem osculo honoraf-
se Paphnutij & aliorum
Martyrū propter Christum
mutilata membra, Grati-
am se osculo eiusmodi, &
benedictionem eorum per-
cipere confisus. Quid non
facturus est cœlestis ille Im-
pera-

perator Filius DEI in die
gloriosi aduentus sui ad iu-
dicium.

I I I.

*Quia eripuisti animam meam
de morte.*

CRedentes enim certi sunt,
iuxta promissiones diuinas,
se etiam in ipsa morte non perire,
sed transire ad vitam. Iohan. 8.
Amen Amen dico vobis, si
quis sermonem meum ser-
uauerit, mortem non vide-
bit in æternum. Ioan. 5. In
iudicium non veniet, sed
de morte transiit ad vi-
tam. Iohan. 14. Viuo ego,
& vos viuetis.

Spes

Spes membris in capite data
est, quod illo essent transeunte
procul dubio sequutura,

*Athanasius in lib. de incar-
natione verbi.*

Sciunt enim se moriendo
non perire, sed immortales
per resurrectionem fieri.

I I I I .

Oculos meos à Lachrymis.

VErè est hæc vita vallis la-
chrymarum, vbi subinde ta-
lia accidunt, quæ nobis expri-
munt lachrymas. Sicut prædicat
Christus. Iohan. 16. Amen A-
men dico vobis, plorabitis,
& lamentabimini, mun-
dus

dus è contra gaudebit. Ade-
 oq; luctum piorum confert ibi
 doloribus parturientium, qui
 sunt & acutissimi & periculosis-
 simi. Sed in futura vita absterget
 DEVS omnem lachrymam ab
 oculis eorum, Esai. 25. Apoc. 21.
 Iohan. 16. Luctus vester ver-
 tetur in gaudium. Et paulò
 post: Et gaudium vestrum
 nemo auferet à vobis. Mat-
 thæi 5. Beati, qui lugent,
 quoniam ipsi consolatio-
 nem accipient. Luc. 6. Bea-
 ti qui nunc fletis, quoniam
 ridebitis. De quo memorabile
 est dictum D. Augustini: Tan-
 tum gaudebunt, quantum
 amabunt, tantū amabunt,
 quan

quantum cognoscent, cognoscent autem D E V M
 immensa misericordia sese ostendentem, & patefacientem sapientiam, iusticiam & eos perfundentem sua sapientia, iusticia & fællicitate.

V.

Pedes meos à lapsu.

TAnta est in hac vita naturæ humanæ imbecillitas, quæ secuta est lapsum primorum parentum nostrorum, vt nullius tanta sit firmitas, qui suis viribus à lapsibus tutus esse possit. De quo nos multa dicta commonefaciunt: 2. Cor. 4. Portamus
 D the-

thesaurum in vasis testaceis.
 1. Cor. 10. Qui stat, videat,
 ne cadat.

Ambrosius: Aut fumus,
 aut fuimus, aut esse possumus,
 quod hic est.

Sed in hac vita pios custodit
 propitius DEVS à multis pe-
 riculosis lapsibus.

Augustinus Psal. 121. Væ
 credenti, nisi fidem ipsius
 Dominus protegat.

Psal. 37. Aut si cecide-
 rint supponit manum, ne
 collidantur.

At in futura vita, non tan-
 tum erunt beati, sed prorsus
 ἀναμαρτητοί, vt amplius peccare
 non possint, cum exuerint, & in
 terra

terra deposuerint carnem hanc
peccatricem,

Pfalm. 17. Ego autem in
iustitia videbo faciem tu-
am, fatiabor cum euigila-
uero ad similitudinem tu-
am.

VI.

*Placebo DOMINO vel
Ambulabo coram I E-
HOVA.*

AMbulare coram DOMI-
NO. Idem ferè est quod a-
libi exprimitur vocabulo standi.
vt:

Luc. 21. Orate, vt possi-
tis effugere, & stare ante Fi-
lium hominis. Item Ioh. 3.

D 2 Ami-

Amicus autem sponsi stat,
 & audit vocem eius. Stamus
 ergo vel ambulamus coram Do-
 mino in hac vita, dum sub pater-
 na ipsius tutela & protectione
 veros & placentes ei cultus præ-
 stamus.

Deinde in altera vita & pa-
 tria cœlesti cum Domino sem-
 per erimus, 1. Thes. 4.

Iohan. 12. Si quis mihi
 ministrat, me sequatur, &
 vbi sum ego, illic & mini-
 ster meus erit.

Iohan. 17. Pater, quos de-
 disti mihi, volo, vt, vbi sum
 ego, & illi sint mecum, vt
 videant claritatem meam,
 quam dedisti mihi, quia di-
 lexi-

lexisti me ante constitutio-
nem mundi.

Augustinus.

Qui sine fine videbitur.
Sine fastidio amabitur.
Sine fatigatione lauda-
bitur.

VII.

In terra Viuentium.

Terra viuentium primum hoc
præfens seculum & vitam, in
qua nos viuimus & habitamus
significat. Esai. 53. Abscissus
est de terra viuentium, de-
scribens passionem & mor-
tem Christi. Ezechias in
cantione sua; Ego vadam
D 3 ad

ad portas inferi, non videbo Deum in terra viuentium. Et sensus est, Psalm. 118. Non moriar, sed viuam, Deus prorogabit mihi vitam, vt diutius inter viuentes in hoc mundo conuersari possim. Præcipue autem accipitur pro vita cœlesti, quæ per collationem huius mortalis vitæ, vere demum terra viuentium censenda est, Ideo illa Esa. 9. terra vmbrae mortis appellatur.

Testimonia.

Psal. 27. Credo videre bona Domini in terra viuentium. Psal. 142. Clamaui ad te Domine, dixi, tu es spes mea in terra viuentium. Et
con-

congruit cum illo, 1. Cor.
 15. Cum corruptibile hoc
 induerit incorruptionem,
 & mortale hoc induerit im-
 mortalitatem, tunc fiet ser-
 mo, qui scriptus est: Absor-
 pta est mors in victoria. I-
 tem Esai. 25. Præcipitabitur
 mors de monte hoc. vide &
 reliqua. Esai. vltimo: Erit æ-
 ternum Sabbathum & ve-
 nient omnis caro adorare co-
 ram facie mea, dicit Domi-
 nus.

Apostrophe ad funus.

Quod ad honestissimã
 hanc matronam attinet,
 cuius exuuijs, vel vt scriptura

D 4 nomi

nominat, 2. Cor. 5. tabernaculo
 terrestri extremum nunc sepul-
 turæ impendimus honorem, pa-
 trem habuit Petrum Pfeffer-
 korn, capitaneum Electoralem
 præfecturæ Chemnicensis: Ma-
 terna autem origine nata est ex
 nobili familia Aldbecciana, nu-
 pta primum clarissimo viro Eu-
 sebio Vuildeckio, artis Medicæ
 Doctori, *δεξιάρχῳ* & Senatori
 Zuickauensi, quo cum coniu-
 gium DEI benedictione habu-
 it fælix & fæcundum relictis post
 se aliquot liberis, Vnde post tri-
 ennij viduitatem, secundum con-
 iugij fœdus contraxit cum viro
 prudentissimo & integerrimo
 Domino IOACHIMO
 MOLLERO gubernante
 nunc.

nunc iussu Electoris Principis Sa-
 xoniæ domini nostri clementissi-
 mi, &c. præfecturam arcis in hoc
 Episcopatu Merseburgensi, cui
 propter negocia Magistratus
 peregre iam absenti, reliquit post
 obitum duos liberos, quem vna
 cum tota defunctæ pñssimæ ma-
 tronæ familia in acerbissimo hoc
 luctu, efficaci consolatione erige-
 re & confirmare velit Filius Dei
 Dominus noster I E S V S
 CHRISTVS. Ad píos enim
 ipsius manes, quod attinet, non
 male cum ipsis agitur, nunc enim
 absoluto fæliciter suo curriculo,
 requiescit pia anima in sinu
 Abrahæ, vel potius in
 manu FILII
 DEI.

D s

Hic

Hic fiat accommo-
datio ad singula mem-
bra præcedentia.

I.

Primum, nunc demum vere
reuerſa eſt beata anima ipſius
in requiem ſuam. Sicut de pijs
ex hac vita decedentibus dicitur:
Apoc. 14. Beati mortui qui
in DOMINO moriuntur.
Etiam dicit ſpiritus, quoni-
am requieſcunt à laboribus
ſuis, & opera ipſorum ſe-
quuntur eos.

Et Apocalyp. 6.

Animabus ſub altari gemina-
tibus, dantur ſtolæ albæ, &
dicitur eis, vt requieſcerent ad-
huc

huc modicum tempus, donec
complerentur conserui eorum,
& fratres eorum, qui interficien-
di sint, sicut & illi. Ideo & mors
requies vel somnus dicitur in
scriptura, vt Esaiæ 57. Venit
pax, requiescunt in cubili-
bus suis, qui ambulauerit
coram eo.

2. *Deinde DOMINVS
benefecit ei.*

ET si enim naturaliter plerique
abhorreant à morte, pro in-
firmitate carnis nostræ, quia ho-
mo ad imaginem Dei, & ad vi-
tam, non autem ad mortem con-
ditus est.

Aristotelis dictum est:

Horri-

Horribilium omnium
maxime horribilissimum
est mors, sicut & Sapient. 3.
dicitur: Visi sunt insipien-
tum oculis mori, & æstima-
ta est afflictio exitus eorum.
Sed præmisit: Iustorum a-
nimæ in manu DEI sunt,
& non tanget illos tormen-
tum mortis.

Adeoq; mors sæpe est pñs
ingens & singulare beneficium
DEI, quando tali modo & me-
dio eripiuntur malis imminenti-
bus, Esaiaë 56. Viri misericor-
diæ colliguntur ante faci-
em mali.

Ita vt confecti ærumnis & ca-
lamitatibus expetant deponere
taber-

tabernaculum hoc corporis ter-
restre, vt nouo & coelesti superin-
duantur.

D. Paulus Philip. 1.

Cupio dissolui & esse cum
Christo.

De quo D. Augustinus.

Qui cupit dissolui, & esse
cum Christo, non patien-
ter moritur, sed patienter
viuit, & delectabiliter mo-
ritur.

Notum est etiam Simeonis
votum, Luc. 2. Nunc dimit-
tis ferrum tuum Domine,
quia viderunt oculi mei sa-
lutare tuum. Item, Non
sum

Sum melior patribus meis:
moriar ego quoq;.

Ideo olim Christi Martyres,
de suppliciorum vel infamia vel
atrocitate nunquam conquestos,
quín potius palos, quibus alligandi erant, exosculatos fuisse, legimus.

Ignatius certè D. Iohannis
Apostoli & Euangelistæ auditor,
qui Apostolorum temporibus
proximus fuit, cum ex Syria usq;
Romam ad bestias duceretur in-
ter alia scribebat: O salutare
bestiæ, quæ præparantur
mihi, quando venient?
quando emittentur? quan-
do eis frui licebit carnibus
meis. Et mox: Ignis, cru-
ces

tes, bestiaë, dispersiones of-
 sium, & membrorum dif-
 cerptiones, ac totius corpo-
 ris pœnæ, & omnia in me
 vnum supplicia Diaboli ar-
 te quæsitæ, cumulentur,
 dummodo I E S V M
 C H R I S T V M adipiscar.
 Et idem, vt de illo Irenæus
 scribit, dicebat: Frumen-
 tum Christi sum, dentibus
 bestiarum molor, vt mun-
 dus panis D E I inue-
 niar, &c.

3. Eripu-

3. *Eripuit eam de morte.*

Iuxta votum D. Pauli, Rom. 7.
 Miser ego homo, quis me e-
 ripiet de corpore mortis
 huius, & mox exultabundus
 & lætus seipsum consolatur di-
 cens: Gratia autem Dei, qui
 dedit nobis victoriam per
 Christum, &c. Roman. 8. Si
 autem Christus in vobis est,
 corpus quidem mortuum
 est propter peccatum. Spiri-
 tus vero vita propter iusti-
 ciam. Quod si Spiritus eius,
 qui suscitauit Iesum à mor-
 tuis, habitat in vobis: qui
 suscitauit Iesum à mortuis,
 viuificabit & mortalia cor-
 pora

pora vestra propter inhabi-
tantem Spiritum eius in
vobis.

Ioan. 5. Amen Amen di-
co vobis, quia qui verbum
meum audit & credit ei,
qui misit me, habet vitam
æternam, & in iudicium
non venit, sed transijt à
morte in vitam.

1. Thessal. 4. Nolumus
autem vos ignorare Fratres
de dormientib. vt non con-
tristemini, sicut & cæteri,
qui spem non habent. Si e-
nim credimus, quod Iesus
mortuus est & resurrexit:
Ita & DEVS eos, qui dor-
mie-

E

mie-

mierunt per Iesum, adducet
cum eo.

4. *Oculos ipsius à lachrymis.*

OMnibus notum est, præci-
pue ñs, qui optimæ matro-
næ adfuerunt decumbenti in va-
letudinario suo, quam diutur-
num & difficilem morbum per-
pessa sit. Testis ego etiam esse
possum, quam anxie expetierit
liberari ex ergastulo hoc, ubi cre-
berrimi & acutissimi paroxisimi
& dolores sæpe ei expresserunt
lachrymas, gemitus, & suspi-
ria. Quæ omnia nunc ei à Filio
Dei sunt absterfa, & commutata
in æternum & ineffabile gaudi-
um, quod nunquam auferetur
ab ea. Sicut dulcissime dicitur

Apo-

Apocal. 21. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierunt.

5. Pedes eius à lapsu.

OMnium etiam piorum quotidiana ad DEVM sonat confessio: Remitte nobis debita nostra.

Rom. 7. Scio quod in carne mea nihil habitet boni, &c.

Video aliam legem in

E 2

mem-

membris meis repugnan-
tem Legi mentis meæ, &
captiuantem me in lege
peccati, quæ est in mem-
bris meis. Septies in die ca-
dit Iustus.

Augustinus.

Sancti seruo, & in sua
persona orant, Remitte no-
bis debita nostra. Anathe-
ma sit contra sentiens, &
fictionem hac in parte San-
ctis tribuens.

Ab istis omnibus malis nunc
clementer est liberata. Carnem
enim illam peccatricem munda-
tam

tam sanguine Filij D E I, &
 sanctificatam à Spiritu sancto,
 deposuit in pulueribus terræ, re-
 suscitandam in æterna iusticia &
 innocentia, in qua D E V M
 videbit de facie ad faciem in
 omnem æterni-
 tatem,



6. *Iam ambulat coram*
IEHOVA.

COrpus quidem huius Ma-
 tronæ vt deponat vitia, &
 infirmitates naturæ peccato cor-
 ruptæ, requiescît in cubili suo.
 At anima non dormit aut requi-
 escît, sed viuit cum DEO. A-
 gnouit hæctenus Deum per me-
 dia in hunc finem diuinitus depu-
 tata & ordinata, prædicatio-
 nem nimirum doctrinæ cœlestis
 per ministerium sonantis & le-
 gitimum vsum Sacramento-
 rum, iuxta institutionem Filij
 DEI.

At nunc illis medijs & inuo-
 lucris remotis, fontem omnis
 sapientiæ DEVM, quem
 hæcte

hactenus in hac vita vidit per
speculum in ænigmate, cernit de
facie ad faciem: Sicut sonant dul-
cissima dicta:

Apocal. 14. Sequuntur
agnum, quocunq; ierit.

Philip. 1. Cupio dissol-
ui & esse cum Christo.



7. *In terra Viuentium.*

EX hac vita tenebrarum &
vmbrae mortis discessit,

A finistris:

1. *ex mundo immundo &
infideli.*
2. *à peccatis.*
3. *ærumnis miserrima Vi-
ta.*
4. *& odijs æmulatorum.*

A dextris autem venit:

1. *in lucem.*
2. *ubi cernit DEVM.*
3. *Filium Dei in assumpta
& glorificata carne
nostra.*

4. *agno-*

4. agnoscit mira & ineffabilia arcana.

5. Et causas cur sumus conditi.

Sicut istis rationibus & seipsum & alios consolari & confirmare solebat optimus vir & præceptor meus Philippus Melanthon, cuius memoria sit in benedictione.

Testimonia.

Psal. 16. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me læticia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsq; in seculum.

E 5 1. Cor.

1. Cor. 2. ex Esa. 64.

Quod oculus non vidit,
nec auris audiuit, nec
in cor hominis ascendit,
quæ præparauit DEVS di-
ligentibus ipsum.

Cyprianus.

Vbi exultabis cum fan-
ctis in gloria, vbi videbis
DEVM, & gaudebis, læ-
taberis & delectaberis, vbi
non gustabis quam suavis
est DOMINVS, sed im-
pleberis & fatiaberis dulce-
dine mirifica, vbi nihil ti-
bi deerit, nihil oberit, vbi
om-

omne desiderium tuum
 CHRISTVS, cum æ-
 terno patre & Spiritu fan-
 cto implebit, vbi non se-
 nefces, nec tabesces, non
 putresces amplius, vbi de-
 niq; perpetuo foelix atq;
 beatus confirma-
 beris.

Epilogus claudit Concionem
 cum pio voto, pro omnibus Ec-
 clesiæ & singulorum piorum
 necessitatibus, &c.

L A V S D E O.



Lipsiæ,

Iohannes Beyer imprime-
bat, Anno salutis
humanæ

M. D. LXXV.

Simon Kimmis Vicar in
Episcopatu merseburgi.

Vt vivas in te posui sperem
Crispe fidamq;

Sic moribus in te martiris
esse volo


Sidonius


Qui pascis volucres poteris et
qui tibi corpus

Corporis aequum non sed tibi
cura non

153079

X 200.2317





Concio
IN DEDUCTI
ONE FVNERIS
Honestissima & piissima Ma-
trona ANNAE, nata ex no-
bili Aldbeckorum familia, &
Coniugis viri prudentissimi &
integerrimi Dn. IOACHIMI
MOLLERI, gubernantis præ-
fecturam Arcis in Episcopa-
tu Merseburgensi.

HABITA ab
Adamo Rothero, D. & Su-
perattendente Mersebur-
genfi, Anno Salutis
1584. die 27.
Decembr.

Lipsia Iohannes Beyer impri-
mebat, Anno 1585.